DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAEDAM

DE

HYDROCELE

TUNICAE VAGINALIS TESTIS

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAEDAM

DE

HYDROCELE

TUNICAE VAGINALIS TESTIS

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES SMALE,

Anglus,

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS SOCIUS.

———— "*tollitur arte malum.*" OVID.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

MDCCCXIX.

VIRO PERITISSIMO,

RICARDO FORSHAW, Armigero,

NOSOCOMII LIVERPOLENSIS,

IN COMITATU LANCASTRIENSI,

CHIRURGO ;

HOCCE OPUSCULUM,

TESTIMONIUM EXIGUUM ANIMI,

OB AMICITIAM

ET

MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA

GRATISSIMI,

D. D. D.QUE

JOANNES SMALE.

VIRO REVERENDO,

ISAACO AUSTIN, M. A.

COLLEGII WADHAMENSIS OXONIAE;

HASCE PAGELLAS

OFFERT

AUCTOR.

NECNON,

AMICIS SUIS

ET

IN RE MEDICA CONDISCIPULIS,

JACOBO HAIRBY, M. D.

ET

GEORGIO THWAITES, M. D.

HANC DISSERTATIONEM,

UT PIGNUS AMICITIAE PERTENUE,

LUBENTISSIME OFFERT

JOANNES SMALE.

"*Nonne videre est,*
"*Nihil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, quoi*
"*Corpore sejunctus dolor absit, menteque fruatur*
"*Jocundo sensu, cura semota, metuque?*"

——————— "*know ye not,*
"*Of all ye toil for, nature nothing asks*
"*But for the body freedom from disease,*
"*And sweet, unanxious quiet, for the mind?*"

Mason Good's Lucretius, Lib. ii.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAEDAM

DE

HYDROCELE

TUNICAE VAGINALIS TESTIS

COMPLECTENS.

EXORDIUM.

Cum genus humanum, tot causis in discrimina varia, singulis horis, oblatum, nec denique, aut magno aut parvo ulla lethi fuga sit, ab redactione ad paucos, necnon interitu pene toto humanam familiam vindicare, singulari et opificio admodum mirifico, Natura (suae conservationis provida) libidine minime domabili aestuat prolem sibi consimilem procreare.

Communis, ergo, est omnium animantium hic coitionis appetitus, procreandi causa, et omnis species organis de industria eo aptissimis instruitur, instinctuque porro quodam congenito, pubertatis aetate, imbuitur, ut sexus se mutuo amplectantur.

Pernecessarium igitur fuit, organa huic magni momenti muneri dicata, prae omnibus caeteris in corpore respicienda, et a malo defendenda fuisse.

Nuper, ut narrant, semiferus quidam et Indicus homo ex Insulis Maris Australis, Londinum advectus, adque Museum speciminum anatomicorum adductus, omnium rerum quae ibi sub ejus aspectum advenissent, nullam tam curiose, quam partes genitales observavit et inquisivit ; magnum hercle documentum, quod in barbaro homine nihil plus mirandum ! Quum nullus fere aetatem puerilem praetergressus reperiatur, utcunque doctrina vel ingenio excultus, cui non in tali repositorio, memoria eorundem primum occurrisset.

Hinc provenit, quod morbi partes genitales

afficientes nunquam non maximam sibi attentionem vindicant, praesertim si quid cruciatus vel incommodi secum afferant.

Istiusmodi *Hydrocele* habenda est, quae imprimis parum molesta, fere negligitur; tandem vero, immensa et inhabili mole, nec raro dolore importuno, infesta admodum et ingrata evadere solet. Isthoc ideo malum, utpote quotidie occurrens, neque levis omnino momenti, argumentum Tentamini nostro satis idoneum fore judicavi; exorsus, ut decet, ex celeberrimi Culleni definitione.

DEFINITIO HYDROCELES.

A Culleno hisce verbis Hydrocele definitur: "Tumor scroti non dolens, paulatim "crescens, mollis, fluctuans, pellucidus *."

Hydrocele quidem tumorem quemvis aquosum in quacunque parte situm, significare po-

* Culleni Synops. Nosolog. G. 79.

test: sed cum κηλη vocabulum Graecum in lingua medica fere ad pudendorum tumores cohibeatur, Hydrocelem aquam in his, seu potius in scroto, solum designare omnes intelligunt.

Hujus tres species CULLENUS recenset; scilicet, *Aquosam*, *Hydatidosam* et *Malabaricam;* quae, mihi videtur, neque recte vocantur nec discernuntur. Isthaec cum ita sint, ad species potius haeremus quas MONRO, POTT, aliique aeque egregii in scientia chirurgica, jam usu, scriptis, argumentisque sanxerunt. Hae sunt,

I. Propriae; scilicet,

1. Hydrocele ex anasarca scroti.
2. Hydrocele ex anasarca funis spermaticae.
3. Hydrocele ex hydatide funis spermaticae.
4. Hydrocele tunicae vaginalis testis.

II. Symptomaticae; scilicet,

1. Hydrocele congenita.
2. Hydrocele hernialis.
3. Hydrocele sarcocele.

Longe vero frequentissima est Hydrocele tunicae vaginalis testis, atque de ea praecipue tractare in animo mihi est, sic tamen, ut spe-

cies alias minime silendas esse putarem, quum ab iis male intellectis longe plus periculi oriatur. Sigillatim tamen, atque sub propriis capitibus, perstringere nequaquam mihi propono; contentus, si in diagnosi tradenda, discrimina evitanda diligenter indicavero.

MORBI HISTORIA.

Antequam signa quae Hydrocelen denotant, chartae illinamus, necesse erit quaedam de forma situque partium, quibus illa sedem habet, perbreviter colligere.

Scrotum, imprimis, seu saccus cuticularis ab inguine dependens, ex plurima fibra reticulata constat, facile tam aëre quam aqua penetrabili. In hoc sacco, testiculus, qui ex substantia satis simplici constat, continetur ; utpote qui, puero adhuc in matrice latenti, huc circa mensem octavum descendisset ; nam in mensibus primis, perinde ac alia abdominis

viscera, testiculus post peritonaeum, in ventre ipso reperitur ; tempore autem progrediente, paulatim ad annulum inguinis accedit, tunicam, quam a peritonaeo recipit, secum trahens, et postea per annulum in scrotum degressus, eandem membranam secum digitabuli seu sacci figura compositam, in cavum istud defert, quasi involucrum ei externum futurum. Hic saccus serosus et in abdomen usque pateret, ni cito post testiculi descensum, annulus, cohaesione facta, clauderetur ; quod si non fieret, serum de ventre in scrotum deflueret, qualiter in Hydrocele congenita subinde videmus.

Sacco nunc tunicae vaginalis testis nomen est, qui ad partem inferiorem dilatior, pyramidem refert, cujus basis corpus testiculi in sinu suo, pericardii more, arctissime complectitur, et de colore suo, *tunica albuginea* dicta fuit.

Nihil anatomicam artem respiciens adjiciendum puto, nisi lectorem monitum velim, nullam tunicam ex peritonaeo funiculo genitali dari praeter hanc vaginalem ; auctoresque om-

nes hallucinari, qui aliam funi propriam descripserunt; septum quoque nullum esse *.

His de partium fabrica propositis, facili negotio indicia quotquot Hydrocelem tunicae vaginalis testis comitari solent, lectoribus intelligentur. Incipiente morbo, signa Hydroceles haec sunt; tumor mollis, decolor, apud caput testiculi inferius percipitur, corpore erecto praecipue notabilis; dolorem nullum movet, ne pressu quidem, quo vero nihil minuitur; tumoris forma fere spheroides, postea tamen pyramidem referre videtur, e basi scilicet satis ampla in verticem quasi conicam extenuata. Quo magis indies augetur moles, eo tensior fit, eoque magis rugae, quae in scroto fuerunt, evanescere solent; intra tamen scroti fines diu se continet, donec tandem, progrediente tempore, ita ad ventris musculos usque proserpat, ut primis licet morbi temporibus, funis genitalis manifeste sentiatur, provecto jam ultra morbo, non nisi aegerrime percipi potest.

---

* Monro, Edin. Medical Essays, vol. v.

Verum enimvero, antequam ad talem magnitudinem tumor pervenit, pondus haud mediocriter auctum esse invenitur, quo vicinarum partium cutis tantum deorsum trahitur, quantum penem semet mirum in modum contrahere, nonnunquam fere omnino evanescere cogat; subinde vero, si RUYSCHIO et PALFINO credas, virga vehementer extumescit, humore scilicet in telam cellulosam ejus effuso. In hoc jam provectiore malo, testiculus, qui posteriore fere tumoris parte reperitur, quique aliquamdiu post hydropem coeptam facile percipiendus erat, nunc vix ac ne vix quidem digito sentiendus est; exploratione tamen diligenter instituta, duritiam quandam semper percipias in scroto, qua sede testis naturaliter esse debet; qua quidem pressura facta molestiae sensum raro non exprimit.

Longe plurimis exemplis humor quidam fluctuans, premente manu, faciliter distinguitur. Nihilominus subinde accidit, quod tumor mali diuturnitate tensissimus factus, nullum fluidum evidenter indicet; neque hoc in statu, nota ea

Hydroceles tritissima fidendum erit, scilicet, translucendi facultate qua candelae solisve radios per se transmittit. Incipiente morbo, cum tumoris interioris nondum color permutatus, neque tunica vaginalis multum incrassata fuerit, liquor, quem habet, fere perlucidus apparet; quae cum adsit nota, seri in scroto semper argumentum valde probabile habetur; quod si desit tamen talis transpectus, minime aquam non scroto subesse arguit; cum hicce transpectus omnino a membranarum continentium rerumque inclusarum conditione fortuita necessario pendebit. Per totum morbum aeger perraro de tumoris dolore queritur, sed molestia quaedam in dorso fere percipitur, quam tumoris pondus de fune genitali pendens fecerat; hinc certe multum vinctura, quae molem suspendat, allevare solet.

Haec fere signa sunt Hydroceles alterutri scroti sacco restrictae; nonnunquam vero duplex vitium apparet, utriusque tunicae vaginalis cavo humore repleto; qui non ex uno quovis scroti latere prominet, sed semet per totum aequaliter expandit.

Morbus, de quo tractatur, omnibus aetatibus obnoxius est; hoc tenerrimi pueruli aeque ac decrepiti senes subinde afficiuntur, saepius tamen et gravius aetas virilis et robusta.

Tempus a morbi initio, donec non magis tolerabilis fiat, fere longum est; non tamen desunt exempla, quibus vitium celerrime in immensam molem excreverit.

Et serum ipsum, et partes id amplectentes, permutare a morbi longinquitate solent; humor modo pallidus, modo viridescens; nec raro turbidus, saniosus, ater; tunica ipsa, ut supra comprehendimus, incrassata, opacior; funis quoque, auctore Scarpa, distrahitur in partes, vasis spermaticis a se invicem vaseque deferente separatis *. Testiculus grandior quasi relaxatus, multaque varice per funem instructus saepe reperitur: quin et in exemplis nonnullis spatium tunicae vaginalis, membranulis inter septum, aquam veluti in cellis habet. (Vide Definitionem.)

---

* Scarpa de Hernia.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

De quibus causis proclivitas huic morbo inducitur, incerti haerent scriptores; convenit tamen eundem in regionibus calidis, praesertim apud debiliores, frequentem esse; sic insularum nostrarum, quae Indiae Occidentales appellantur, incolis, et praesertim Barbadensibus familiarem esse; neque minus Brasiliensibus grande Flumen Januarium accolentibus solennem. His vero debilitas quaedam ab aëre sicciore, pravoque vitae genere concitari dicitur; corporibus scilicet relaxatis et in hydropem proclivibus. Difficultas quaedam hic subest; nam, Batavorum in Europa regio valde humidi crassique aëris, hydropi quam maxime proclivis esse creditur; certe veri multo similius apparet hydropem in regione humida quam sicca generari debere. Sed aliae causae valetudinem generalem afficientes, aquam inter cutem colligere in quavis orbis terrarum parte va-

lent : haec corporis conditio, quomodocunque inducta, Hydroceles excitationi multum favet ; nec dubium est, quin causae aliae testiculum solum et apparatum spermaticum respicientes, regionibusque supradictis occidentalibus propriae cum ista conspirent.

CAUSAE EXCITANTES.

Hae vix minore, quam causae praedisponentes, obscuritate versantur ; Pott, celeberrimus de Hydrocele auctor, se prorsus nescire confitetur ; neque Ruyschius opinionem quam de varice venarum in teste, funeque protulit, ratam habet ; certum est, tales varices in hoc morbo saepe reperiri, nec minus quod omnes causae liberum per vasa circuitum impedientes seri profusionem effecturae sint ; hinc fidem Doctori Fairbairn *, Hydrocele afflictos sibi fere ictum aliamve injuriam praegressam conquestos esse affirmanti, haud gravate constare credimus.

* Inaug. Dissert. A. D. 1815.

Idem auctor est luem veneream in causis esse, nec raro, stricturam urethrae, quod Hydrocele detumescente post hanc sanatam ostenditur. Pereira, qui de Hydrocele Brasiliensium scripsit, eam erysipelati saepissime in civitate Fluvii Januarii supervenire tradidit; utriusque morbi originem relaxationem esse *. Quod Dodonaeus dixerit (Schenkius) de vitio a rene ad scrotum usque propagatum, inconsulte id literis scriptis mandatum apparet; neque fidem facit, etiamsi vere diceretur, quod sinistra scroti pars aquam longe saepius Hydroceles contineat, quia vena spermatica ejus lateris in vena sua emulgente terminatur: incertum enim, nec ab aliorum observationibus confirmatum.

CAUSA PROXIMA.

Haec haud aliter quam aliarum hydropum causa difficilior quam primo statim aspectu vi-

* Inaug. Dissert. A. D. 1815.

deretur. Sin autem, cum plerisque sentias, hydropem fieri siquando exhalatio vasorum minimorum resorbentium diligentiam superaverit; Hydrocelem quoque subire cum vasa halitum illum, qui tunicam vaginalem sanissimo in statu irrorat, casu quovis adauxerint, haud absurde judicabis. At nuper quidam argumentis praevalidis instructi, res ita esse negant, atque semper inflammationis nonnihil utcunque latentis praeiisse contendunt. His haud male concinit observatio Doctoris Fairbairn et Dodonaei; neque minus eo, quod obiter, nec ullam theoriam tuendi causa prolata fuisset: rem vero curiosum quam practicum medicum potius attinere opinor.

SIGNORUM RATIO.

Aqua in uno latere saepius quam utroque colligitur, paribus rationibus, quibus oculorum unus saepius quam ambo morbis plectitur; sic

enim sors jubet in rebus, quascunque in paribus copulari statuit Natura.

Tumor translucet, quia et scrotum ipsum distentum radios lucis sine mora trajicere solet, atque aqua adjecta nihil minuit transpectum ejus, quin augere oportebit, si doctrina *opacitatis,* quae hodie obtinet, firma sit, corpora scilicet, sicut chartam oleo imbutam, transparere, siquando poros eorum devios humor idoneus penetraverit. Quibus e causis tumor opacus fiat, jam supra in historia diximus. Alia signa manifestiora quam quae ullam rationem ultra dandum desiderent.

DIAGNOSIS.

Tunicae vaginalis testis Hydrocelem ab aliis supradictis tumoribus accurate distinguere oportebit, praesertim cum opus sit curationem his longe diversam instituere; discriminandum quoque haud minus diligenter inter eandem Hydrocelem aliaque vitia, quibus plurimis genitalia masculina vexari solent.

Ab *Anasarca scroti* ita distinguitur: in illa scroti cutis fere laevior, atque digito pressa foveolam relinquit aliquamdiu perstantem. Anasarca etiam latus utrumque occupat, ut hydrope universo oriunda, cujus alia et vulgaria indicia per totum corpus fere adsunt; adde quod tumor penis simul adsit atque tumoris fere opacitas.

Hydrocele funis spermaticae a nostro morbo ita distinguitur: Hydrocele tunicae vaginalis testis ab imo scroto incipiens sursum tendit; funis spermatica fere semper sentire est apud summum tumorem; fluctuatio manifesta; tumorem recedere in ventrem compressio minime cogit nec hominis positio; testis non nisi in parte tumoris posteriore percipitur. Atqui Hydrocele funis spermaticae a superiore parte testis deorsum progreditur; eundemque ideo in parte sui inferiore tactui sensum praestat. Hi morbi tamen subinde conjunguntur.

Hernia scroti simili fere in modo dignoscitur: praeterea, hernia tumorem habet minus firmum aut aequabilem; opaca est, nec raro murmure

quodam personat, praesertim si in ventrem recondi possit, quod fere semper plus minusve efficere valebimus ; tussi distenditur : figura quoque pyramidata herniae deest, neque funis spermatica facile percipi potest, licet testis evidenter tactu sentiatur. Haec quoque Hydrocelem cum hernia complexam a nostro morbo satis distinguent.

Ab *Hernia Humorali* per dolorem, ruborem, morbum seu injuriam praeviam discernere solemus ; tumor opacus est ; tactus impense cruciat ; nullo tamen transpectu, nulla etiam fluctuatione ; febris quoque saepe se comitem addit.

Cirsocele varicum contortas et distentas plicas sub digito per testiculum, seu chordam genitalem serpentes praestat, naturamque propriam satis declarat ; supino corpore, quoque detumescit ; atque vix aut ne vix quidem molem unquam acquirat, qualis curationem postulet.

Hydatides asperam quandam et inaequalem tumoris superficiem praestant, vixque aut ne vix quidem translucent ; difficilis nihilominus

fit distinctio, nisi in unica funis genitalis hydatide, qua, auctor est clar. Benj. Bell, sulcus extrinsecus, septum quasi intrinsecus sub scroto percipiatur; sedes autem hujusmodi septi variat admodum pro forma aut situ hydatidum; sic ab experientia priore haud multum quod ad diagnosin discere possumus. Quin et scrotum nisi per easdem distentum rugisque laevatum, crassius est quam quod tale dissepimentum facile ostenderet.

MEDENDI RATIONES.

Paucis vero morbis plures curationes adhibuerunt chirurgi quam ei quem tractavi: morbus in se haudquaquam periculosus, remediorum numero et discrimine fit vere formidabilis. Experientia tamen fidelissima incolumitatem aegri cum chirurgi facilitate, per eandem operationem, *Injectionem* scilicet, et conjunxit et universo usui nunc commendavit. Chirurgi nuper

curationem bifariam dicere solebant, quasi una esset malum tantum levatura, altera rursus idem radicitus deletura; priorem vero harum curationem imprimis attingere institui.

In hac aquarum exitum moliebantur; morbo nempe diu quieturo, si hae semel ejicerentur. Sectio fit scalpello, nisi chirurgus, ut plurimi, pericula testiculi morbosi seu arteriae spermaticae vulneratae parvipendens, perforatorem triangulum, vulgo dictum *trocar*, mallet, apud anteriorem itemque inferiorem scroti partem; atque scrotum, siquando humor haesitantius per vulnus aut tubum insertum, foras prodierit, manu comprimendum est.

Nonnunquam vero accidit, ut vel ex sarcocele, vel ex mutato partium situ, vel denique ex inscito medicantis opere, ut ramus aliquis arteriae spermaticae vulneretur, sanguinemque effundat; cujus rei clarissimum exemplar conservatur in Musaeo Joannis Hunter. Ille vir praeclarus, manu sua partium conditionem in quodam, dum sanesceret ex Hydroceles operatione mortuo, rimatus, cera prius colorata per

vascula infusa, vas vulneratum, coagulum effusum invenit; et quod mirum videatur coagulum adhaerere, vasculaque e partibus vicinis in se admittere. Hoc manifestissimum quod viderat exemplum coaguli vita praediti rite conservandum curavit, ut adhuc videatur *.

Haec perforatio saepe nec inutiliter instituitur, ut suadet Earle, in iis etiam qui curationem deletricem postea subituri sunt. Hoc enim modo testis conditionis certiores fimus, adque volumen quod libet tumorem increscere permittimus. Nonnunquam porro accidit, ut saccus scroti, hunc ad modum vacuatus, collapsusque cohaeserit utrinque, atque sic aeger morbo in perpetuum liberatur.

Ab initio diximus, partes tunicae vaginalis testis quae ab anteriore parte sint, necnon a latere, liberas esse, tunicaque albuginea perpetuo separabiles, ergo aqua nunquam testiculum omnino circumfluere potest. Hinc etiam patet in-

---

* *Vide* Trans. Phil. 1818.—Scarpa haud inutiliter scripsit de hac quoque re in libro suo de Herniis.

cisionem ibi tantum fieri debere, ubi tunicae vaginalis a tunica albuginea distantia maxima est, i. e. in linea longitudinali atque tumore medio anteriore, dicente Scarpa : in illa parte ubi distantia minima est, incisio non tantum inepta, sed lethalis foret.

Aqua emissa, vulnusculum lino, emplastro superimposito, curandum est ; atque si scrotum olim vehementer distensum fuerit, fascia nunc suspendunt. Plerisque vulnusculi curatio nullius negotii est, quippe paucis fere horis perficiatur ; aliis tamen minus feliciter ; exulceratur nonnunquam plaga, raro tamen ultra exteriorem cutem progreditur, facileque sedatur. Quando ad tunicam vaginalem usque processit, adhaesionem inducendo, morbum in pauculis penitus sanavit. Pott dixit se hanc exulcerationem lethalem fieri cognovisse ; sed rarissime certe id accidit.

Fuerunt qui aquam non emitti donec libra collecta esset, suaderent ; miro tamen errore ; nam haec prorsus inutilis esset operatio, ni vasa absorbentia per tunicam vaginalem hiantia

liquorem exhalatum sorptura essent; hac autem tunica incrassata atque densata, vascula absorbentia, bene constat, minus libere haurire solent; quapropter vix prudentis esset medici aquarum emissionem, donec talis supervenerit membranae status differre; contra, si aqua in morbi initio emitteret, curatio saepius fieret definita.

Curationes quae deletrices habentur sex sunt; Injectio nimirum, Incisio, Setaceum, Excisio, Turunda *(Collyrium)* Adurentia.

Ex his, ut diximus, *Injectio* usu longe celeberrima est; neque opus est argumenta iterum proferre quae huic primas partes post diutinam controversiam vindicavere. Curatio ipsa, haec est.

Aqua more supra tradito educta, tubus, cui annexa fuit utris elastica vino impleta, sacco demittitur, atque comprimitur, donec cavum jam scrotum ad pristinam fere amplitudinem, vino ex utri expresso, repleatur; quo facto, ad duodecimam horae partem ibi vinum continetur, nisi molestum praeter modum deveniat; non-

nihil tamen doloris utile habetur, quoniam inflammationem quanta opus sit futuram denunciat. Recepto vino, quod rubere oportet, vulnusculum componendum; scrotum ipsum cingulo idoneo suspendendum; signa denique, si quae ingrata oboriantur, accurate corrigenda sunt. Illust. JACOBUS EARLE se duabus vini partibus aquae unam admiscere testatur; cui misturae, si dolorem moveret nullum, addidit vinum donec aeger sentiret; sin vero morbus recens esset, aquam adauxit.

Dolor de quo loquimur circa renes et inguina praesertim percipitur. Signa ingrata supervenire solita fere ad inflammationem pertinent, atque remediis quae huic conditioni accommodantur, vulgo sanantur; fomenta, cataplasmata, purgantia salina, et ut diximus, cingulum suspensorium, ex his praecipua sunt. Neque verum est, quod scriptores nonnulli dixerunt, omnino ut herniam humoralem tractari debere; nam salina et vehementia medicamenta reprimentia, qualia sunt, *Murias Ammoniae*, *Murias Hydrargyri*, vomitoria fortiora, necnon saepe

frictio, quae hernia humorali jure optimo exhibeantur, in recenti Hydroceles inflammatione nunquam non nocerent.

Curatio tamen, utcunque omnibus accepta, suis neque levibus incommodis haud caret. Sic non nisi periculose adhibetur, ubi testis aut funis spermatica morbo quovis graviore affectus sit; inflammationem admodum vehementem vitae periculosam saepe excitat. Denique, quod pessimum est, saepe hoc molimine nihil omnino perficitur, sed morbus citato passu ad pristinum statum regreditur: talibus igitur exemplis, *Incisio* utique adhiberi debet.

Operationem hanc, *Incisionem* scilicet, vetustissimi auctores descripserunt, CELSUS, exempli gratia, et PAULUS AEGINETUS;—quod saepe periculosa esset, nec raro lethalis, testati sunt innumeri recentiores. Nihilominus praeclarus nuper chirurgus, BENJ. BELL, eam prae omnibus posuit et laudavit, neque unquam lethalem fieri judicavit *.

Incisio hunc ad modum instituitur; tegu-

* Vide Bell on Hydrocele.

mentis scroti a media ad superiorem tumoris partem incisis, scalpello aperiendus est saccus; quo facto, atque priusquam omnis effluxerit aqua, scalpellus recurvus, *Bistoury* dictus, demittitur, eoque tota tunica vaginalis testis e summa usque ad imam partem aperitur. Quum tumor magnus sit, melius consulitur, si pars sacculi excidatur, atque vulnus denique ab imo, lino oleo madefacto curetur. Nisi in talibus exemplis, nunquam bene inciditur Hydrocele; atque cum aliae medendi rationes supradictae simili ratione pendeant, factu tamen crudeliores, eventu incertiores sint, hac sola insistere commodissimum erit.

Excisio quoque a Celso laudatur, ut curatio tunc temporis bene cognita, nec aliquam periculi mentionem injecit de hac aliisve in scroto operationibus timendi: atqui satis constat antiquos etiam longe minus felices in talibus operationibus quam hodierni extitisse; quum justissimus imperator, Justinianus ipse, in Novellis scripserit de castratione his in verbis: "Saepe-"numero e multis vix pauci evadunt incolu-

" mes, usque adeo, ut quidam ex his, qui *ser-* " *vati fuerunt*, sub nostro aspectu deposuerint e " *nonaginta* aegre *tres servatos esse* *." Si his castratio adeo interneciva, excisionem tunicae vaginalis haud multo feliciorem fore suspicamur.

Dominus S. Cooper in Lexico Chirurgico, Albucasin primum excisionem aperte descripsisse autumat, nec Celsum nisi partem sacci amovendam suasisse; Celsi autem verba sunt: " Si vero humor intus est, incidendum est, in " pueris quidem, inguen; nisi in his quoque id " liquoris ejus major modus prohibet: in viris " vero, et ubicunque multus humor subest, " scrotum. Deinde, si inguen incisum est, eo " protractis tunicis, humor effundi debet: si " scrotum, et sub hoc protinus vitium est, ni- " hil aliud quam humor effundendus, *abscinden-* " *dae*que membranae sunt, si quae eum conti- " nuerunt; deinde eluendum id ex aqua, quae " vel salem adjectum vel nitrum habeat: si sub " media imave tunica *totae*, *eae* extra scrotum

* Vide Justiniani Novell. Const. cxlii. De his, qui Eunuchos faciunt.

"collocandae, *excidendaeque sunt* *." His satis constat eum excisionem jubere.

Haec operatio in modo sequenti optime perficitur: duae lineae ad similitudinem myrtacei folii in scroto scalpello ducuntur, et pars interciditur; deinde, sacco forfice patefacto, tunica vaginalis exciditur usque ad partem qua vasis spermaticis concrevit; vulnus lino impletur donec ad curationem veniat, quod sero fit.

Setaceum a clarissimo Pott in usum reducebatur; scrotum inferius et anterius perforatore triangulari cannula incluso penetravit, cannulaque relicta, per eam aliam cannulam transmisit; per hanc iterum fila serica, quotquot facile lumen transirent, auxilio perforatoris alius longioris filaque trahentis, per scroti partem superiorem quoque propulit; eo facto, hic et cannulae removentur, et setaceum nunc per scrotum transactum, ibi relinquitur.

Huic vero curationis modo plurima objicienda sunt. Setaceum quidem corpus testiculi

* Celsus, Lib. 6. Cap. xix.

perpetuo stringens et irritans, inflammationem plus aequo exasperare necesse est; hinc inflammatio nimia purisque formatio major quam quae facile per aperturam effluere potest; hinc in alias vicinas partes viam sibi legit, atque abscessus formantur, qui difficulter ad sanitatem perducuntur. Denique, hic processus nullam praestat cognitionem de statu testiculi, quem cognovisse apprime necessarium est; nam si hydatides subsint, male respondet haec curatio: atque si testiculus, ut nonnunquam accidit, extirpandus sit, nihilominus relinquitur.

Collyrio eadem objici possunt, atque sic hodie raro usurpatur; adhibendi modus fere omnino similis est ac in setaceo jam diximus.

Adurentia a Domino Else laudata nonnunquam usurpata sunt: atque in iis exemplis quibus aegri timiduli scalpellum metuunt, exhibeantur; sed ex toto, haec valde inepta sunt, quum *Causticum* sic regi, ut *Eschara* per tunicam vaginalem rodat, fere nequeat; ideoque saepe fit, ut, labore cum dolore irrito, ad scalpellum confugiendum sit; sinus quoque in scroto inter-

que scrotum et tunicam vaginalem testis saepe concitat.

Neque silentio praetereundum esse opinor, quicquid auctores scripserint de fuga Hydroceles per medicamenta, opus hercle taedii plenum, nec nisi rarissimis exemplis, votis sperantium responsurum: aut Diureticis vulgaribus utuntur, aut Submuriate Hydrargyri. Keate fere solus est, qui rem extrinsecus, per Muriatem Ammoniae aqua solutum, aggredi ausus est; feliciter certe in quibusdam exemplis, ni fallacia quaedam, ut solet, subfuerit.

Dominus Forshaw, Nosocomii Liverpolensis chirurgus solertissimus, hunc morbum semel iterumque sanavit, ope linimenti quod fit ex Unguenti Hydrargyri fortioris drachmis tribus, et Olei Camphorati unciis duabus, quae simul bene conteruntur; hoc linimento mane et vespere scrotum infricari, et, panno laneo superimposito, fascia idonea sustineri debet. Meticulosis, quibus omnis operatio chirurgica ingrata esset, haec aut similia reprimentia prius experiri suaderem.

FINIS.

que scrotum et tunicam vaginalem testis saepe constituat.

Neque silentio praetereundum esse opinor, quicquid auctores scripserint de cura Hydroceles per medicamenta: opus hercle taedii plenum, nec nisi rarissimis exemplis, votis sperantium responsurum: aut Diureticis vulgaribus utuntur, aut Submuriate Hydrargyri. Keate fere solus est, qui rem, extrinsecus, per Muriatem Ammoniae aqua solutum, aggredi ausus est; feliciter certe in quibusdam exemplis, in fallacia quaedam, ut solet, subinente.

Dominus Jonesius, Nosocomii Liverpolensis chirurgus solertissimus, hunc morbum semel iterumque sanavit, ope linimenti quod fit ex Unguenti Hydrargyri fortioris drachmis tribus, et Olei Camphorati unciis duabus, quae simul bene concutiuntur; hoc linimento mane et vespere scrotum illinatur, et, panno laneo superimposito, fascia illaque sustineatur. Meticulosis, quibus omnis operatio chirurgica ingrata esset, hoc [illegible] prius experiri suaderem.

FINIS.